

runt ab æterno in intellectu divino. *Hæc* possunt ad tres classes referri, videl. (1) *præteritorum*, (2) *præsentium*, (3) *futurorum*. Ex quibus homines quædam horum certo cognoscunt, plurima dubie, innumera nullatenus, Dei vero cognitionem ad illa omnia pertingere, ita probo. etenim (1) *præterita Deum nosse*, quia omnia fecit, facile intelligi potest. (2) *præsentia Deum nosse*, quia omnipræsens, etiam palam est. (3) *futura sunt vel necessario eventura*, utpote quæ secundum mechanicas motus leges in materia accidunt, vel *contingentia*, quæ sc. a libera mentium determinatione dependent. Priora quin Deus cognoscat dubitari nequit, qui enim ipse machinam aliquam produxit, cujus partes omnes perfecte novit, harumque inter se dispositionem intelligit, is simul machinæ effectus certo prævidere & prædicere poterit.

§. 5. Major vero difficultas occurrit circa *futura contingentia*, quæ a causa libera dependent. Qui negant, contingentia Deo esse ante eventum cognita, illi ajunt, *eventus esse ejusmodi nature, ut repugnet eos a Deo præcognosci*, quoniam id, quod minime fixum, a Deo ut fixum prævideri implicet. Et ideo ad objectionem, *quod sic scientiæ divinæ termini ponerentur*, regerunt, hoc modo illam non magis limitari, quam ipsius potentiam, dum negatur, repugnantia a Deo fieri posse.

§. 6. Alii, qui eventus contingentes a Deo prævideri & prædici posse statuunt, nituntur illo fundamento, *quoniam alias Deus quotidie doctior fieret,*